

Postremo si ab disputationibus philologicis ad archaeologiam paululum divertere licebit, non praetermittam commemorare veteres non solum in libris titulisque sed etiam pictura ditatam aquae copia Romam celebravisse, illam picturam dico quae anno MCMIX in monte Caelio in domo quae vocatur casa dei SS. Giovanni e Paolo reperta peritorum admirationem movit. conspiciuntur in sinistra parte tres arcus recubansque super eos Amnis aquae ductum significari ostendit; in medio autem imperator deae Romae aquam subministrans depictus esse videtur. nisi quid obstat de Claudio cogitaverim, eamque quaestionem ut viri notitia rerum instructi absolvant vehementer opto.

Ser. Monasterii m. Mai.

F. Krohn.